

AD GRATVLATIO
 SCRIPTA REVERENDO ET
 CLARISSIMO VIRO, DOMINO ALBERTO HUNGARO,
 SACROSANCTÆ THEOLOGIAE LICENTIATO, ATQVE EIVSDEM PRO-
 fessori ordinario, cū 6. Id. Quintil. in celeberrima & Catholica Academia Ingolstadiensi
 Doctor inauguraretur.

A V T H O R E
 Ioanne Engerdo Neapolitano Turingo.

Q Valis Pannonijs fors indignatus in aruis
 Hungarus armipotens minitanti dicta ferocis
 Et rabidi Turcæ qui cælum territat armis:
 Arma mouet contrâ, atq; ultro implacabilis ardet,
 Vt sibi contingat cum multo gloria quamuis
 Sanguine: si uerò hinc demum uictoria cedit,
 Tunc auratus eques dici cum laude meretur,
 Tunc sua consequitur sudatæ præmia palmæ.
 Haud secus HUNGARVS primis exosus ab annis
 Vincula uoluptatum & præuæ iuga barbara carnis:
 Ob patriam laudem (uirtutis namq; paternæ
 Nomen adhuc clarum) pugnando est plurima passus,
 Et proprium decus & partum indignatus honorem
 Ni teneat: testis uerum mihi Roma canenti,
 Testis & Anglipolis. Sed nunc uictoria Martem
 Annuit ecce suum, & placido Dijs numine firmant.
 At quid ego hæc loquor antè satis super æthera nota?
 Quidue moror? neq; enim tempus finit omnia dici:
 Pauca modo hæc paucis testata relinquere conor
 Versibus exigui pro tempore carminis autor.
 Ut uideat schola nostra, simul lætetur, adhuc quod
 Dijs patrij, quorum semper sub numine tuta est,
 Non tamen omnino cupiant delere Siona,
 Cùm taleis animos tulerint & tanta uirorum
 Pectora: postea rursus forsitan grauiore loquetur
 Musa sono, & tanti fingentur carmina sensu
 Digna uiri, grandesq; dabunt mihi tempora fructus.
 Tu nunc mater ades uerbo fæcunda beatrix
 Sola Dei, generata Deo, siue o Dea certè,
 Quodlibet excedit qua lex humana sub orbe
 Contentum Lunæ, regina scientia cunctas
 Ante alias, sed inenarrabile Maiestatis
 Grande tuæ nomen, modo ades celebraq; fauendo
 Sacra uiri, rebusq; ueni non aspera nostris.
 Te colit HUNGARVS, tua nunc ad diua sacerdos
 Limina adest, aperi mater, solennia præbe
 Dona tua nato, meruit semperq; meretur
 Eius adhuc uirtus: Sed adest, ni fallor, & ultro
 (Audio iam) reserat stridentia limina mater.
 Ergo agè, quos superi felix HUNGARE secudent,
 Ante annos animosq; gerens titulosq; uiriles,
 Accipe supremos tandem Doctoris honores.
 Macle tuis studijs, in te doctrina Deorum
 Nunc oculos uertit, te nunc schola nostra tuetur
 Teq; colit: tantum ne te cæli atria nobis
 Inuideant, atq; ante diem spiracula possant.

